



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Ad perfectionem conandum. n. 27.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1635. nenter cerneretur ; Superiori considerandum relinquitur, num ille migrare aliò debet , vbi melius habens corpore impensis diuino obsequio vacare possit. Non erit tamen ipsius infirmiti huiusmodi mutationem postulare , nec animi propensionem ad eam ostendere , sed (superioris curæ id relinquatur.) Quod ad cætera omnia etiam pertinere facile videtur. Itaque sumite animos quos oportet , & cum iam manum ad Aratrum (quod laborem significat) miseritis , nolite respicere retro , sed cum beato Apostolo , *A dea que sunt priora vos extendite, ad destinatum persequimini, ad braium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu :* denique hoc sentite quod Perfecti. Ea vero quæ mihi opportuniora videntur tum ad hanc quam dixi animi Magnitudinem & indifferentiam , & reliquias virtutes comparandas, tum, vt uno verbo dicam, ad spiritum Societatis in vobis perpetuo souendum atque augendum, hæc sunt.

Ad perfectionem conandum XXVII. In primis quod eodem loco Apostolus monet , *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim.* Quoniam enim cum ad gradum Professionis aut alium in Societate admissi sumus videri possumus attigisse metam probationum quæ in eadem Societate tanquam fundamenta iaciuntur. Et cum in Angliam mittimur proclive est naturæ corruptæ cogitare iam omnia parta; frequenter sibi quisque reducere in memoriam debet, & pro certo habere vitam hanc omnem in probatione versari, nec quemquam faciliter coronâ excidere quam qui se magni aliquid in hac palæstra adeptum esse, aut omnino se aliquid esse existimet. Et sane si rem æqualiter aestimamus, quando gradum in Societate, vel Missionem , vel munus aliquod consecuti sumus, non perfectionem , sed obligationem eo maiorem ad perfectionem sumus consecuti, quo id munus, vel ille gradus est maius testimonium opinionis & spei quam de nobis habet Societas. Itaque si ab initio oportuit " Constanti animo incumbere in omni perfectionem nostri Instituti, atque in virtutum solidarum ac perfectarum & spiritualium rerum studium, & impensè saluti & perfectioni propriarum animarum vacare; tum etiam proximorum; quem conatum, quod studiu, quam constantiam toto deinde vita decursu adhibere conuenit, & de ærario viri animi & corporis quas impensas facere ut opinioni de nobis conceptæ respondeamus, spem confirmemus, atque adeo quæ à Christo duce fidei nostræ commissa sunt , per desidiam, per incuriam, per negligentiam non perdamus ; sed ei per omnia placeamus cui nos probauimus. Id facile perficietis, si ( ut regula 26. Missionum admet ) consueta in Collegijs orandi, & examinanda conscientia exercitia non imminuat, atque in summa, regularum Societatis, quantum locus patitur, obseruationem non prætermitatis. Igitur quoniam eorum qui in hac nostra Missione versantur, Tria ferme sunt genera, Quorundam qui priuatum sed domi continent, & vix ullam cum proximo conuerstationem habent; aliorum qui toti sunt in itineribus, & diem vacuum raro sortiuntur : Ac denique eorum qui vel recollectioni vel conuerstationi quantū fere volunt & quemadmodum.

Tria genera eorum qui in missione versantur.

1635.

admodum volunt tribuere possunt, omnibus hæc regula loquitur. Et quidem  
 Primi & Tertiij mox ut stationem attigerint quam Dominus ipsis assignauit,  
 si rebus suis probè consultum velint, describent sibi accuratam horarum  
 omnium distributionem, orationibus studia, studijs conuerstationem, si oc-  
 casio terer, subiectentes, & à conuerstatione ad orationem & studia se tursum  
 recipientes. Quod si nulla foris cum proximo, exigua cum ipsis domesticis  
 agendi opportunitas datur, si libri ad studiorum varietatem desint, neq; for-  
 tas expediat, aut non suppetat vnde sumptus fiat ad multos comparandos,  
 hoc ipsum, qui deum nouit, in lucro ponet: Quibus enim votis optanda,  
 quo affectu amplectenda illa conditio est quæ nos à terrena conuerstatione  
 segregat, locat Angelis? aut quod tedium habere poterit coniectus ille tam  
 honorificus, tam beatus? vbi liberum erit solidos dies & noctes partiri in va-  
 ria officia & obsequia, non sensus (quod mundanorum est) non etiam usq;  
 adeo ipsius intellectus, nè valetudo laedatur, sed affectus, sed voluntatis, modò  
 cum Deo, prout animus suggredit, colloquendo; modo Patriarcharum spem  
 & desideria, Apostolorum zelum & labores, Martyrum tormenta & coro-  
 nas, Doctorum illuminationes & laureas, Confessorum mortificationem  
 & perleuerantiam, virginum decoram Castitatem admirando, laudando, in  
 animo nostro & ipso corpore per imitationem & amorem exprimendo, diem  
 modò in ista, modo in alia Cœli regione fallendo, S. P. N. Ignatium ali-  
 quoisque sequendo, quem audiuiimus dicentem, "Heu quam sorbet terra  
 cum Cœlum aspicio!" Hic præter meditationem quotidianam & Examina-  
 & lectionem spiritualem ex Instituto, Tres modi orandi quos S. P. N.  
 nos docuit, vnu venient; Hic varij modi percurrendi cum fructu Rosarij  
 quos nos ipsi alios docemus: Hic tempus abundè sufficiet ut Sacrosanctum  
 sacrificium Missæ cum debita præparatione & deuotione celebremus, &  
 per otium fruamur optatis amplexibus Christi Iesu. Hic facile recitatitur di-  
 uinum officium attente, deuote, & opportuno tempore, & dabitur occasio  
 degustandi suavitatem illam quam sensere S. P. N. Ignatius, & B. Aloysius,  
 & quam p. m. P. Claudius nobis reuocat in memoriam in Epistola hac de  
 re conscripta: deniq; iuuabunt etiam alia pietatis exercitia quibus abundant,  
 libri spirituales quos versatis.

At ista (dicet aliquis) ad propriam perfectionem conferent; in altera par-  
 te Instituti quæ salutem & perfectionem proximi impensè promouendam  
 spectat, neque minus quam prior me contingit, quid ego reclusus hic facio?  
*Multum* (ut verbis Apostoli utar) *per omnem modum*. Neque enim censem  
 d' est nihil agere pro salute & perfectione proximi qui quotidie impensè  
 agit cum Deo cauam proximi; qui pro Regibus, pro superioribus, pro pri-  
 uatis, pro viuis & defunctis, pro Regnis & ciuitatibus, pro Magistratu &  
 plebe comparens coram summo Deo singulorum necessitates prudenter  
 expendit, sua ipsis & Ecclesiæ totius votaardenter offert, preces fundit,  
 vt cunctorum misereatur qui cunctorum gerit prouidentiam, ipse Deum,

PP 4

in hac

1635.

in hac sua vniuersali prouidentia imitatus. Deinde Christus Dominus totis triginta annis cui rei incubuit? Nonne aliorum saluti & perfectioni, quâ orando, quâ exempla recollectionis & aliarum virtutum domesticis & vicinis præbendo? Is iterum, cum à Baptismo Ioannis Spiritu Sancto (pecie columbae) in ipsum descendente, & voce delapsa ad eum à magnifica gloria, attentionem vniuersi populi sibi peperisset & admirationem, duxit est ab eodem spiritu in desertum, & erat cum bestijs quadraginta diebus & quadraginta noctibus, ut nemini nostrum quantumvis instructo à scientia & gratia apud Deum & homines, graue aut insullum videri possit si quadraginta diebus (diem pro anno computando, vt est apud Ezechielem) ex mandato Superioris, hoc est Dei, fedeat solitarius & tacens, & quasi dormiens super latus suum dexterum, in deserto, vel sit cum bestijs; praesertim cum non lateat vos charissimi quia unus dies Christi Domini sicut mille anni ex nostris, & doctissimi cuiuslibet & sanctissimi viri non sint (comparati ad meritum Dei ac Domini Mediatoris nostri Christi Iesu.) sicut dies unus. Occur-  
rat hic vobis Martyr Ignatius ista de seipso narrans "De Syria vñq; Romam pugno ad bestias in mari & in terra, nocte dieque ligatus cum decem Leopardis, hoc est, militibus qui me custodiunt, quibus & cum beneficeris peiores sunt: Iniquitas autem eorum mea doctrina est, sed non idcirco iustificatus sum,) sic & nos, dilectissimi Patres, incipimus Christi esse discipuli, nihil de his quae videntur desiderantes, sed quandoquidem ita voluit Deus, ru-  
des & hebetes & disciplinæ incapaces, & ingratos, & in vitijs senilentes, & pauperum turbam, & omnium solitudinem, in scientia, in longanimitate,  
2.Cot.6.6. in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in  
virtute Dei, per arma iustitiae à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobi-  
litas, per infamiam & bonam famam, & seductores & veraces suppor-  
tantes, Iesum Christum in omnibus & per omnia certissime inueniemus, qui  
PL.102.4. replebit in bonis desiderium nostrum, & coronabit nos in misericordia & mi-  
serationibus.

De studijs.

XXVIII. Quod ad studia attinet, libri pauci & boni nemini  
deesse possunt; & certè vt singulis annis unum aliquem diligenter percur-  
atis (vt desit pecunia) non deerit vicini alicuius caritas qui vobis librum inte-  
rim mutuo det; quanquam obliuisci non oporteat desiderium complures li-  
bros coemendi, vel etiam euoluendi, persæpe esse inutile: Sanctus Pater No-  
Conf. p.4 ster animaduerit perturbari studia cum quis uno tempore varia conjectatur;  
c. 6.3.7. & vnuusquisque studere debet mediocritati quam innuunt Constitutiones, cùm libros cuique permittunt qui necessarij sunt. Necessarij autem viden-  
tur Sacra Scriptura cum aliquo Commentario, vita Sanctorum, Cursus ali-  
quis Theologiae, saltem Moralis, tractatus de Controversijs fidei, & Catechi-  
sta, Historia, & subinde aliquis è Sanctis Patribus. Memini P. Guilielmum  
Westonum. b. m. cum captus teneretur, neque concederetur ei præter Sa-  
cram Scripturam alio libro yti, totam memoriam commendasse non pœni-  
tendo.